



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Eucharistiæ desiderio monstrosa virgo sanata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

882 Cap. LVII. Causa monachorum ex parte Dei benefacientis;

confertam multitudinem, etiam cæcus puer, quām primum chrismate vñctus est, lumen cæli, quod nunquam antea videbat, iucundissimè aspergit. Itaque geminum ex hoc sacramento fructum reportauit, in animo gratiam, in oculo sanitatem. Quod signum cùm in nostrum documentum factum sit, mirum est, tam multos vsque in seram ætatem differre huius domini susceptionem; immò aliquos tam infrequenter id conferre.

IX.

Ioan. Nider.  
lib. 2. Formi-  
carij c. 7.

Plura, ex huiusmodi corporum deformitate, aut vitijs, commoda prouenisse, etiam in SS. Eucharistiæ laudes, ostendunt qui perugiles libros lucubrauerunt. Inter quos Ioannes Nider pius pariter & pereruditus scriptor refert, paulo prius, quām Coloniam missus esset, ad litteras addiscendas, fuisse inibi, intra ciuitatem, duas insignes virgines, eadem matre & mente natas, vnanimes, in vna eademque domo degentes, & sponso Christo virginitatem consecrantes; contentas victum tenuem manuum labore quærerare. Ita ad incuriam vsq; corporis grassatur cura castitatis. Sed præ omnibus epulis illis erat suave epulum Eucharistiæ. Harum vnam, cælestis sponsus primore aspectu, duriter, postea tamen amabili euentu probavit. Cùm enim diuini pabuli desiderio ingenti teneretur, atque ad id etiam magna animi pietate soleret accedere, tanquam indigna repulsa est, in hunc modum. In morbo cecidit, cumq; ita grauem, ac tantopere innalemcentem, vt nervis, quibus labia & mandibulae solent moueri, se contrahentibus, etiam adhibito totius corporis conatu, os diducere ad cibum sumendum non posset. Enimvero ea erat contracti oris vis ac pertinacia, vt labia, etiam liquido iusculo sumendo vel vix, vel etiam penitus, cochleari, aut argenteo instrumento non possent aperiri. Adeò mandibula superior inferiori tenaciter cohærebat, vt concreuisse viderentur. Erat itaque non mirabilis duntaxat, sed etiam miserabilis virginis huius aspectus. Siquidem arctissima conducti oris compressio trucem, & diram minantem vultum efficiebat. In hunc modum affectam virginem non tam sollicitabat cibi sumendi cupiditas, quām timor, ne sacratissimum Christi viaticum omittere cogeretur. Cuius sumendi desiderium tanto amplius crescebat, quanto se videbat

bat morti viciniorem, quantoque credebat, illud magis necessarium ingressuræ iter æternitatis. Negabant omnes, qui eam aspicerant, fieri posse, ut sacramentum hunc panem sumeret, quæ etiam coctæ gallinæ liquorem sorbere nequibat. Ut tamen fatus fieret tam ardenter cupienti cuiuscumodi posset, vocatus est sacerdos, qui ei de peccatis confessæ, venerabile sacramentum sub oculos exhiberet adorandum; ut, quod re ipsa atque ore sumere non poterat, saltum fide, desiderioque manducaret. Adsuicit mysta, qui postquam eam à peccatis absoluimus, dominicum quoque corpus, ab ea venerandum, manu dextera eleuavit. Mira vis, & eximia virtus Eueharistiae! statim ut eā Spuma Christi conspexit, præter omnē spem & opinionem, animaduertit sibi vires rediisse in corpus, internoque animæ instinctu impulsa, os reseravit, accepitque in omniū oculis, quem tantis votis desiderauit. Quod miraculū omnes inflammauit præsentes ad illum laudibus extollendum, qui non solum mutorum ora soluit in loquaciam, sed etiam labia aperuit, ad cœlestem cibum capiendum.

Matrimonij Sacramentum venerabile est, ideoq; & ipsum paulo priùs ostendimus illustratum, per mœchæ monstrosum faciem, pœnitentiāmque, formā iterum in integrum restitutā. Quia tamen voluntariæ virginitatis status perfectior, Deoque acceptior est, ideò Deus multos voluit potius esse non pulchros, quam non castos; quin & ipsi nonnulli pīj sancti que homines deformes fieri maluerunt, ut virgines permanerent.

Soror Angela de Trinitate, Carmelitana, filia Mareschalli de Briesch, cum ob formam aliaq; natura dona a magnis proceribus in matrimonium expeteretur, faciem aqua imbutam soli exposuit, ut decu forma deperiret, & procorum oculis minus arrideret. Inconveniens etiam nobilium fatuam se tardamq; simulauit, proposito suo nulli, quam sibi, perspecto. O quam sapiens fuit hæc stultitia simulata! Olim Dauid, ut mortem euaderet, vitamque suam conseruaret, immunitus os suum coram hostibus, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in os porta, defluebantq; salinae eius in barbam: hæc, quia erat una de numero prudentum, maluit videri fatua, quam placere alijs oculis, nisi Christi. Vnde

X.

Paulus de  
Barri in so-  
litud. Hagi-  
philz. 5. die  
medit. 2. dis-  
fert. pome-  
rid.

1. Reg. 21. 13.

Iiii 2 mentis